Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Praedicatorum Friburgensium lector - Cod. Ettenheim-Münster 191

Weisser, Philipp

[S.l.], 1628-1929

Dubium duodecimum

urn:nbn:de:bsz:31-117415

Visual Library

Bonus et legitimus Syllogismus, qui aequivalet huic syllogismo, constanti cuspide rectis, est ita sensibile, hoc autem, quod hoc est sensibilis.

Dubium Duodecimum. Quid sit Syllogismus Sophisticus.

Quia non tantum ad Dialectici considerationem spectat, ut per rectam ratiocinationem ad veram rei cognitionem perveniat, sed ut et falsum devitando et agnoscendo, falsitatis errorem evitet, conveniens videtur aliquid in complemento Dialecticarum institutionum de Falsa et Erronea Argumentatione breviter aliquid dicere.
Et cum ex syllogismis sophisticis multi errores et falsitates soleant provenire, de ipso in hoc ultimo Dubio quid nam sit agemus. Definitur autem ab Aristotele in Elenchis hoc modo.

Syllogismus

Syllogismus Sophisticus est ille qui apparet syllogismus et non est, aut qui est syllogismus, sed non conveniens rei. — *Definitio syllogismi sophistici.*

Hoc syllogismi genere plerumque illi uti solent qui sapientes apparere volunt in disputationibus, quoniam per tales syllogismos apparentes fallaciis plenos et rei non convenientes respondentem convincant. — *Virtus syllogismi sophistici.*

Habent tales syllogismi sophistici plerumque quinque metas seu scopos, ad quos respondentem deducere conantur. — *Quinque metae syll: sophistici.*

1a Meta est Redargutio. Quae vel concessi negatio. Vel prius negati concessio in eadem disputatione. Ita ut aliquis cogat concedere quod ante negaverat; vel negare quod ante concesserat. — *1a Redargutio.*

2a Meta est falsum. ad quod sophista suis syllogismis alterum vult deducere, et sumit hic falsum, quod manifeste falsum. Si enim sit falsum occultum, sophista suum finem non assequetur. — *2a Falsum.*

3a Meta est Inopinabile, quando scilicet aliquis cogitur concedere id quod est contra opinionem adstantium; ut si quis in disputatione imperitorum cogat concedere, stellam esse maiorem

tota

tota terrâ.

Sollacismus. 4a. 4a Meta ē Sollacismus. Et fit tunc quando respondens cogitur concedere aliquid, quod est vitiosum in contextu orationis, et contra regulas artis grammaticae.

Nugatio. 5a. 5a Meta ē Nugatio, quae est unius ac ejusdem dictionis ex eadem parte inutilis repetitio. ut homo homo currit. Dicitur a. ex eadem parte, quia si idem ponatur in subjecto, et postea in praedicato, non erit Nugatio, ut cum dico, hic homo homo. Dicitur et inutilis repetitio, quia si repetatur idem ad majorem expressionem non erit nugatio, ut cum dico, Deus Deus meus respice in me, etc.

Ad has quinque Metas si quis deduci refugit necesse est cognoscere fallacias, quae in talibus syllogismis continentur. Quarum cognitio cum sit utilis et valde, ad evitandos multos falsitatis errores, de illis breviter hic aliquid dicere volumus.

Definitur a. fallacia in Communi hoc modo

Falla-

Fallacia est quaedam idoneitas decipiendi faciens credere de aliquo quod sit, quod tamen non est, aut non sit quod tamen est. — Defio Fallaciae.

Dividitur primo fallacia in illam quae est in dictione, et aliam quae est extra dictionem. — Fallacia duplex.

Fallacia in Dictione est quoddam motivum seu causa apparentiae credendi est ex parte vocis. — Fallacia in Dictione.

Fallacia extra Dictionem est quoddam causa seu motivum apparentiae est ex parte rei. — Fallacia extra Dictionem.

Fallacia in Dictione habet sub se 6. species. 1a est Aequivocatio. 2a Amphibologia. 3a Fallacia accentus. 4a est, Compositio. 5a Divisio; 6a Figura dictionis. — Fallacia in Dictione habet 6. species.

Aequivocatio est unius et ejusdem dictionis i. diversa significatio. Et notandum est, quod in qualibet fallacia sit duplex causa. Alia est causa apparentiae. Alia est causa Defectus. — Aequivocatio. — Causa duplex.

Causa Apparentiae in quacunque fallacia est illa quae movet ad credendum id, quod non est credendum. — Causa Apparentiae.

Causa Defectus quae ostendit credendum esse falsum. — Causa Defectus.

Causa

Causa apparentiae in aequivocatione est unitas dictionis.
Causa defectus est multiplicitas significatorum per unam dictionem. ut cum dicitur. Omnis canis latrat. sydus caeleste est canis, ergo sydus caeleste latrat. Haec fallacia

Fallacia aequivocationis triplex est.

1. aequivocationis triplex est. Alia, quae fit in una dictione principaliter plura significante. ut in hac voce, canis.
2. 2da est quae fit in una voce vel dictione, quae unum principaliter et fortius significat, alterum vero metaphorice. sicut haec vocula ridet; principaliter significat actum ridendi qui proprius est hominis: metaphorice vero significat floritionem prati. Ex quo formari potest talis paralogismus. Quidquid ridet habet os, sed pratum ridet ergo pratum habet os.
3. 3a aequivocationis species est quae provenit ex diversa consignificatione, quae attenditur penes accidentia partium orationis, ut quicumque surgebat stabat, sedens surgebat, ergo sedens stabat.

Amphibologia.

2. Fallacia Amphibologiae est Deceptio quaedam proveniens ab una et eadem oratione diversa significante. sicut n. aequivocatio provenit ex eo, quod penitus eadem dictio vel vox plura significat

sic

sic amphibologia ~~causa~~ ex eo quod penitus
eadem oratio plura significat. Dicitur penitus
eadem, ad differentiam orationis, quae composita
et divisa plura significat.
Causa apparentiae in hac fallacia est
unitas orationis plura significantis.
Causa vero defectus est diversitas significatorum.

Triplex est species huius fallaciae. — Amphibologia triplex.
Prima quando evenit ex eo quod una oratio principaliter plura significat manente eadem
constructione propter diversam habitudinem
eiusdem constructionis sicut haec oratio,
liber Aristotelis; licet sit ~~eadem~~ istud non dico,
tamen sub eodem modo construantur tamen propter
diversam habitudinem constructionis
diversa significat. Potest enim intelligi haec
oratio, vel sub habitudine effectus ad causam,
vel possessi ad possidentem, et formatur
talis paralogismus. Quicunque est Aristotelis
possidetur ab Aristotele, iste liber est Aristotelis, ergo
possidetur ab Aristotele. Non sequitur ita generaliter,
quia in maiori erat habitudo possidentis
ad possessum, in minori habitudo causae ad
effectum.

Secunda species

2. 2a species Amphibolie est quae provenit ex eo quod una oratio significat plura per diversam ordinationem partium, ex eo quod una dictio potest construi cum aliis, transitive vel intransitive. Sicut quidquid videt aliquis hoc videt, sed aliquis videt columnam, ergo columna videt. non sequitur, quia illa dictio diverso modo construitur cum aliis partibus.

3. 3a species est, quae provenit ex eo, quod una oratio significat principaliter unum, aliud vero metaphorice. Sicut haec oratio, littus arat: principaliter significat scissionem terrae, metaphorice amissionem operis. Et formatur talis paralogismus. Quicunque littus arat terra seminatur[?], sed quod indocilis docet littus aratur, ergo quod indocilis docetur, terra seminatur. Non sequitur per praedictam multiplicitatem.

Fallacia Compositionis.

3. Fallacia Compositionis est eorum quae debent dividi falsa unio. Causa apparentiae est oratio divisa, habens identitatem in materia cum oratione composita.

Causa

Causa defectus est diversitas sensus compositi et divisi. Et idem quod oratio aliqua vera in sensu diviso, et falsa in composito sensu, tunc est fallacia compositionis.

Fallacia divisionis est contraria deceptio compositionis, scilicet divisio. Hae duae fallaciae, facile poterunt intelligi et cognosci si ea quae supra ~~de~~ de sensu composito et diviso dicta sunt, diligenter inspiciantur. — 4. Fallacia Divisionis.

Fallacia Accentus est deceptio proveniens ex eo quod aliqua dictio diversimode prolata diversa significat. Vel est idoneitas decipiendi proveniens ex multiplicitate ejusdem dictionis secundum diversum modum proferendi, quae cognitio potest fieri accentus ex grammatica petendo est. — 5. Fallacia Accentus.

Causa apparentiae huius fallaciae est unitas dictionis secundum scripturam seu materiam.

Causa defectus est diversitas significationum, quam efficit diversitas accentus seu pronuntiationis et formalis talis paralogismus, Qui lepores venatur canibus indiget, Roma lepores, venatur ergo canibus indiget.

Fallacia

Fallacia figurae. 6. Fallacia figurae et dictionis est simi-
litudo unius dictionis ad alteram penes fina-
lem terminationem in parte non idem significante.
Et formatur talis paralogismus. Qualiscunque
est musa, talis est Poeta, musa est generis
foeminini, ergo et Poeta erit generis foem:
Et haec fallacia sumitur penes proprietates
grammaticales.
Causa huius fallaciae est similitudo vocis,
secundum terminationem;
Causa defectus est diversus modus significandi.
Potest et talis fallacia accidere secundum proprie-
tates logicales, ut si dicerem, quodcunque emisti
comedisti, carnes crudas emisti. ergo car-
nes crudas comedisti. Fallacia est aperta,
quia mutatur praedicamentum substantiae, in praedicamentum
qualitatis, unde consequentia nulla.

Fallaciae extra dictionem. 7. Fallaciae extra dictionem
sunt 7

Accidentis. 1. Prima est fallacia accidentis, quae est deceptio
proveniens ex eo, quod aliquid significatur simile
utrique eorum quae sunt ad aequaliter per
accidens unum; si dicerem v.g. animal est genus,
[illegible] homo est animal, ergo homo est [illegible].
non infertur quia animal non autem praedicatur secundum
~~secundum~~ substantiam nisi [illegible] secundum accidens.

2a fal

2a fallacia est dicti secundum quid, ad dictum simpliciter. Et contingit haec fallacia tunc quando a dicto secundum quid proceditur ad dictum simpliciter. 2. Secundum quid ad dictum simpliciter.

Dictum secundum quid est dictio quaedam diminuta vel cum determinatione accepta, ut, albus secundum dentes.

Dictum simpliciter, est dictio quaedam absolute sumpta absque ulla determinatione, ut albus.

Causa apparentiae huius fallaciae est convenientia dicti secundum quid ad dictum simpliciter. Causa defectus est diversitas ipsius rei.

Et formatur talis paralogismus. Aethiops est albus secundum dentes, ergo Aethiops est albus non sequitur.

3a Fallacia est Ignorantia Elenchi. quae est deceptio quaedam in qua infertur contradictorium alicuius quod tamen non est contradictorium. Elenchus est syllogismus contradictorius, de eadem re quae vere est eadem secundum omnia. Contingit autem haec fallacia quando contradictorium infertur alicuius, quod tamen non est contradictorium, eo quod vel variet suppositio, vel non maneat eadem res secundum omnia. Et consequenter haec fallacia toties potest contingere, quoties leges contradictionis supra datae non servantur. Ut si dicerem, in hoc instanti

man

maius mea est clausa, in hac instanti
minus mea nec est clausa, ergo maius mea
nec est clausa, vel est clausa. non infert
quia non servat idem tempus.

4a fallacia est petitionis princi-
pij et contingit tunc, quando quaestio
debet probari sumitur in praemissis, vel falla-
cia petitionis principij est deceptio pro-
veniens ex eo quod assumitur idem ad probationem
sui ipsius sub alio vocabulo, ut si vellem proba-
re, hominem currere, dicerem sic, animal rationale currit, ergo homo
currit, peterem principium.

5a. fallacia est consequentis et est deceptio
proveniens ex eo quod consequens aestimatur
converti cum antecedente. ut si diceretur,
homo est, ergo animal est, animal ergo homo est. haec ultima
non sequitur. Et de his supra.

6a fallacia est Non causa ut causa
Et fit tunc quando inter praemissas ex pluribus
sumitur aliquid ponitur [illegible] nihil ad con-
clusionem operatur. Et sic est non causa ut causa.

7a fallacia est plurium ~~[illegible]~~ interrogationum
ut unius contingit haec, quando ad plures inter-
rogationes petitur una responsio: ut si quaeratur,
asinus et lapis est ne animal? committeret fallaciam
plurium ut unius; sed haec fallacia facile
poterit vitari si quaestiones illae divi dantur

d

et ad singulas respondentur iuxta exigentiam earum.
Et haec de Dialecticis Institutionibus dicta sufficiant.